



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Guilielmus C. 6. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

NES sorores, inter flamarum blanditias verius quam tormenta, mortem somni similem, illæsis corporibus, oppetierunt. IRENE vero ardentes etiam ignes evasit, in lupanar quippe Veneris fornacem per vim intrusa, ab Angelis sub militari habitu latentibus, illibata virginitate, inde educta est, & in montem ablata, extra teli quidem Cupidinis jactum, non æquè tamen furentis adhuc Dulcitii posita; ab hoc enim celeriter inseque, eminus sagittâ transfixa est volens lubensque, & amorem suum Numini saucio pectore testatura, mox in ejus complexum à cælestibus Paronymphis domum, id est Cælum, deducta; anno salutis CCC.IV. Ex Actis S. Anastasiæ.

Mox ut germinare inceperint fœda cogitationes, compunctionis gladio interimat ipsas, qui cordis sui JESVM cupit habere possessorem; virilem super se adhibeat custodiam, quâ nec seducatur nec aliciatur. S. Laur. Just. de Cast. Conn. c.33.

S. GUILIELMUS C. 6. Aprilis.

GVILIELMVS domi nobilis, Hugoni Abbatii, apud Parisienses, à parentibus ad omnem pietatem informandus traditus est. Nec abhorribat à disciplinâ pius animus, quâ comite feliciter in literis progressus, facile superabat æmulos, quibus ob morum integritatem fastidio fuerat. Patebat multorum invidiæ, quam ille æquo animo perferens, nihil alienum à virtute patrabat, quæ sedem firmam in pectore ipsius jam fixisset. Dubius quo vitæ genere virtutis studia decurreret, monente tandem severius Odone Abbe, & objecta Christi crucifixi in vitreâ fenestrâ depicti spe-

April.
erius
llæsis
tiores
s for-
ri ha-
ducta
Cupi-
dhuc
ente,
, &
tura,
nym-
salu.

com-
i JE-
ibeat
Laur.

7. April. VITÆ SANCTORVM. 181
specie, pectori ejus faces subdente, in religiosam se
familiam recepit, in quâ cœlestibus promissis ac-
census, ita se probavit aliis, ut Roschildenibus
præficeretur Abbas. Et quia pii omnes adversis
excentur, nequaquam ab iis vir sanctus eximius
fuit, cœli nihilominus deliciis sustentatus. Gra-
vius decumbenti S. Genovefa virgo solamen &
morbo medicinam attrulit. Morituro denique Re-
parator noster, Sanctis comitatus, conspicuum se
fecit, scilicet ne mortis larvâ terroreretur. Cœlum
Anno M.CC.II. subituro paratum solium ejus dis-
cipulus vidit, coronamque, rarum opus & Ange-
lorum manibus elaboratū; sed gemmas GVLIEL-
MVS suppeditavit, virtutes suas, quarum nos no-
mina fortasse scimus, & subinde de pretio disputa-
mus, sed subterfugimus patientiæ scalpellum, sine
quo nulla gemma cœlatur. Ex Surio.

*Christus sit confabulator tuus: Christus sit contuber-
nalis tuus & conviva; imò Christus ipse sit tua delicia,
ipse quotidiane refectionis epulum, ipse tibi sit intima
dulcedinis alimentum.* S.Pet.Dam.1.7.Ep.6.

S. CALLIOPIUS MART. 7. Aprilis.

CALLIOPIVS eximiâ sanctitate juvenis ad
agenda Liberalia ab impiis invitatus, libere
abnuit, nefas esse Christianis dictitans, insanire
cum ratione. Præfectus urbis Maximus extrema
primùm comminatus, cum nihil objectis terrori-
bus profecisset, versus ad blanditias, velut in do-
tem invitamentumq; sceleris filiæ matrimonium
promisi. Eam conditionem generosius etiam re-
spuentem plumbatis contundi, nervisque crudis
fœdè laceratum, in rotam jubet innecti, curvaturâ
cultris obarmatâ, rogoq; juxta validè flammante.

H 7

Utrius-